DE
CONDYLOMATIBUS
HISTORIA MORBI RARIORIS ADNEXA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVIII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

GERMANUS EDUARDUS SEYPPEL

TREVIRENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. SPIERING, MED. ET CHIR. DR.
F. WAGNER, MED. ET CHIR. DR.
F. SCHUSTER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, FORMIS NIETACKIANIS.

VIRO

NOBILISSIMO, GENEROSISSIMO, AMPLISSIMO

DE ZUR MUEHLEN,

BORUSSORUM REGI A CONSILIIS JUSTITIAE INTIMIS SUPREMIS, SENATUS DE SUMMA RE PUBLICA MEMBRO, ORDINIS DE AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA CUM LEMNISCO EQUITI ETC.

FAUTORI MAXIME COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA CUM REVERENTIA

OFFERT

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

In morborum caterva, qui humani corporis integritatem infestant atque subvertunt, nulli profecto aut graviores aut turpiores sunt, nulli nostro saeculo frequentiores, quam qui impuram sequuntur venerem. Qua de re facile intelligi potest, eos accuratiori medicorum indagatione non esse indignos neminemque fore spero, qui mihi juveni probro vertat, quod data hac opportunitate pro virium mearum tenuitate de condylomatum natura atque indole quaedam disseruerim. Experientissimo vero et eruditissimo viro medico superiori in nosodochio caritatis Dr. Hauck, qui sententias suas de syphilide summa cum liberalitate atque benevolentia mecum communicavit, ideoque summum animi mei studium ad morbos syphiliticos diligentius cognoscendos incendit, gratias, quas habeo, ago maximas.

Excrescentiae contagio syphilitico exortae, forma et magnitudine diversae, non regulariter circumscriptae, corporis superficiem excedentes, saepe constipatae, duriusculae, superficie vel crispa vel sicca vel humida, colore subrubro insignes, sanguine scatentes, parum sensibiles, cuti et huic affinibus membranis mucosis insitae, maxime in locis epidermide tenui tectis nascentes, condylomata nominandae sunt. Inprimis igitur inveniuntur ad genitalia, ad anum, ad faciem internam fe-

morum; ad montem veneris, in ipsa vagina, ad orificium uteri; praeterea vero ad labia oris, ad palatum, linguam, tonsillas, supercilia, palpebras, iridem, palmas, sub alis; ceterum in omnibus corporis partibus observata sunt. Humor, quem secernunt, serosus, saniei similis, nisi abstergitur, in membranulam siccam ex albo luridam coagulat, et in superficie foveolas praesertim implet eique speciem striatam, figuratam praebet. Confinia non sunt decolorata, nisi humor ea corroserit: in membranis mucosis plerumque color eorum est saturior, quam alibi: dolent tantum, si laeduntur: praeterea molestiae solum ex humore corrodente percipiuntur; idem etiam contagium propagat. Mulieres saepius condylomatibus laborant, quam viri.

Saepe confunduntur istae syphilidis formae cum aliorum morborum productis, quorum praecipua sunt, quae sequuntur:

Verrucae differunt a condylomatibus propria sua natura: sunt durae, siccae, fibris compositae pluribus aequabiliter directis, cute adsita in modum annuli cinctis, colore cinereo, corneo praeditae, pisi ac fabae magnitudinem raro superantes, plerumque in partibus aëri expositis obviae.

Mariscae haemorrhoidales humorem nullum secernunt, laeves sunt, molles, haemorrhoidales molestiae eas comitantur, venarum speciem saepissime ostendunt, ad anum tantum, tres numero plerumque, inveniuntur.

Quandoque etiam ulcera carcinomatosa, quae cutis superficiem occupant, condylomatibus similia observantur (1), atque inprimis, si in praeputio posita sunt, cum iis confundi possunt; qua re diligenter utraque distingui necesse est. Hujusmodi carcinoma, ut absolvatur, multum temporis desiderat, humor secretus foetidus, putridus, dolor atrox, sanguis facillime effluens, maxime autem ejus origo, diagnosin confirmant. Ulcera aliquando cujuslibet indolis, inprimis venerea, basi ita attolluntur, ut a condylomatum specie parum differant: tum nihil superest, quam ut propria condylomatum signa diligenter comparentur: ulceris venerei autem superficies fungosa interdum nullo modo ab ipso condylomate discerni potest, nam in illis ipsis condylomata vera posita occurrunt.

Neque raro accidit, ut papillae myrtiformes, quae ad mulieris naturam pertinent, itaque inter morbos referendae non sunt, pro condylomatibus sint habitae, et cum graviter peccet medicus, qui arte eas depellere conatur, accurate a condylomatibus eas distingui oportet: carent enim crispo velamento, hymenis tantum rudimenta sunt, colore membranam circumdantem omnino aequant.

Evenit etiam, ut exanthema venereum specie condylomatum, vel per aliquam partem vel totum corpus diffusorum imponat medico; his fere discernitur:

(1) De Gonzenbach, de carcinomate penis ejusque exstirpatione. Dissert. inaug. 1837. Berolini.

initio cutis passim attollitur, decoloratur, laticem nusquam peculiarem fundit, maculae diu persistunt, tandem idoneis remediis adhibitis collabuntur; cum tela subjecta cellulosa mortua et absorpta est, epidermis ab eis decidit, fovea semper relinquitur.

Ad cognoscendam naturam atque indolem condylomatum, quae tam saepe symptoma syphilidis exhibent, neque ea diligentia neque id studium hucusque est adhibitum, quod huic rei videtur consentaneum. Causam non tam in facilitate, qua condylomata ab aliis similibus excrescentiis discernuntur, quam in minori periculo, quod alii tumores majus efficiunt, positam esse arbitror. Itaque omnes fere scriptores condylomata aut obiter attingunt, aut silentio praetereunt, aut controversa de iis proferunt.

Veteribus excrescentiae ad anum, quae per basin latam affixae sunt, jamjam satis erant notae, iisque vel thymi sunt nominatae, vel condylomata. Ita Celsus (1), Plinius (2), Galenus (3), Caelius Aurelianus (4), Paulus ab Aegina (5), hujus morbi mentionem fecerunt. Aetius (6) bene descripsit vegetationes circa anum, quas thymos et sycosin vocat. »Thymi enim, inquit, in corpore tuberculosae sunt eminentiae, asperae subrubrae, oblongae, praeter naturam auctae, sanguinem effundentes, dum auferuntur amplius, quam pro apparente magnitudine. Abundat autem haec affectio circa sedem et pudenda ac media femora. Quandoque etiam in facie constitit. Et quidem sane parvae sunt et vocantur thymi, aliqui vero magnitudine excedunt et appellantur ficus. Mansueti igitur thymi carunculae sunt parvae quidem, verum inaequales, obscuris eminentiis exasperatae, albicantis coloris, aut subrubrae et doloris expertes — Medicamenta, quae consumunt ac resiccant thymos, sunt ea, quae communiter curant etiam reliquas verrucas.« Juvenalis quoque verba ad has excrescentias spectare videntur:

— sed podice laevi
caeduntur tumidae medico ridente mariscae.«

Quod attinet vegetationes in tunica mucosa genitalium, veteribus excrescentiae penis haud ignotae fuisse videntur. Sic Celsus: »Occalescit etiam in cole interdum aliquid, idque omni pene sensu caret, quod ipsum quoque excidi debet.« Aetius accuratius has describit. »De thymis in sede diximus, fiunt autem

---

(1) Celsus lib. V. et VII.

(2) Plinii historia mundi lib. XXX. cap. 8.

(3) Galeni opera fol. Basil. 1562.

(4) Caelius Aurelianus, de morbis acutis et chronicis, edit. Conradi, Amstelodami, 4. 1549. p. 393.

(5) Pauli ab Aegina opus de re medica lib. VI. c. 80.

(6) Aetii tetrabiblos, Basil. 1749. de affectionibus sedis p. 739.

et hic thymi aut in sola glande, aut in cole, aut in praeputio; antea vero dictum est, quod mansueti facile curantur, maligni difficiliter et per affectae partis ablationem sanantur.«

Historici mediae aetatis, qui de syphilide scripserunt, vegetationes partium genitalium atque marginis ani parum respexerunt, tamen Fallopius (1) eas quam accuratissime describit, etenim invenit has excrescentias subsequi ulcera: »Ultimo inquit, sanatur caries in pudendo et solet semper loco cicatricis subcrescere quaedam verruca, veluti carunculae etc.« Discernit excrescentias syphiliticas et non syphiliticas: »harum, inquit, duplex est genus aliud Gallicum, aliud non Gallicum; major pars non est Gallica.« Observavit quidem, vegetationes non syphiliticas ex defectu munditiei contagiosas fieri posse.

Recentiori tempore Astruc (2) primus condylomata lata ab acuminatis distinxit. In capite illo, contendit, excrescentias, quae partim porri partim verrucae condylomata nominentur, in tota corporis superficie apparere. Si papillae nervorum, quae sub cute inveniuntur, majores fiant atque degenerent, illum morbum formari. Hancce degenerationem tamen a stagnatione lymphae oriri, itaque non veneno syphilitico solo etiam aliis causis provocari posse.

Hunter (3) dicit, condylomata illis in locis, ubi venenum syphiliticum per longum tempus situm fuerit, apparere. Quia autem condylomata sine ulla plane infectione oriantur, plurimis in casibus minime esse syphilitica.

Hahnemann (4) Hunteri sententiam secutus, contendit quidem, condylomata symptoma idiopathici veneni syphilitici exhibere, atque iis in locis, ubi ulcera venerea solis remediis externis, praecipue adstringentibus, curata antea exstiterint, apparere. Illas excrescentias dicit minime esse venereas, sed potius passionem consecutivam syphilidis, ut urethritidem secundariam. Inter condylomata lata atque acuminata nullum autem statuit discrimen, ut Hunter.

Van Swieten (5) condylomata plane omittit. Schwediauer (6) contendit, condylomata plurimis in casibus non esse syphilitica, sed si a veneno syphilitico originem capiant, sane malum locale apparere.

---

(1) Fallopii libri duo de ulceribus alter de tumoribus. Venetiis 1665.

(2) Traité des maladies veneriennes. Paris 1764.

(3) John Hunter, Threatise on the venereal diseases. P. V. ch. IV. p. 270.

(4) Unterricht für Wundärzte über venerische Krankheiten. 1789. cap. IX. pag. 128.

(5) Von den venerischen Krankheiten und ihrer Heilart. 1791.

(6) Von der Lustseuche, übersetzt von Kleffel 1799 in vol. prim. pag. 288. et in volum. secund. pag. 101.

Hecker (1) quidem inter condylomata porras et excrescentias generatim discrimen constituit, attamen minime originem atque hujus mali decursum describit.

Girtanner (2) non secus ac Hecker de condylomatibus loquitur. Walch (3), Wendt (4), Haase (5) de hocce malo nihil notatu digni dicunt.

S. Cooper (6) de condylomatibus nihil aliud, quam parvos atque duros tumores esse, adnotat.

Rayer (7) interpretatur condylomata ex hypertrophia corii retisque vasorum, nec non epidermidis.

Inter Germanos scriptores recentissimi temporis alii condylomata lata plane disjunxerunt ab acuminatis, dum condylomata lata hypertrophiam corii inflammatione exortam, condylomata autem acuminata pseudorganisationes, seu parasitos, esse contendunt; alii (9) dicunt, nihil interesse, ut condylomata lata ab acuminatis discernantur, quum utraque ex magnis, tenuibus fasciculis vasorum consistant, quae potissimum ex reti vasculoso Malpighii originem ducant.

Otto (10) condylomatum cum fungosis et sarcomatosis excrescentiis cutis mentionem facit.

H. J. Johnson condylomata ex depositione quadam, haud tamen satis constituta, in cute oriri censet.

Prima eaque melior et accuratior disquisitio condylomatum instituta est a Remak, cujus observationes Gonzenbach (12) communicavit. Secundum ejus observationes condylomata acuta a reliquis, si formam excipias, eo maxime differunt, quod crassiori integumento lamelloso, epidermidis formam microscopicam exhibente, obteguntur; condylomata autem pedicellata et racemosa procedente decursu epidermide prorsus destituuntur et ejus loco tenuissimam tunicam cellulosam induunt, intus autem sub microscopio vasa sanguifera et globulos inaequales et asperos, pau-

(1) Deutliche Anweisung die venerischen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln. Erfurt 1801. pag. 369.

(2) Abhandlung über die venerischen Krankheiten, mit Zusätzen und Anmerkungen herausgegeben von Cappel. 1803. pag. 231.

(3) Ausführliche Darstellung des Ursprungs, der Erkenntniſs, Heilung und Vorbeugung der venerischen Krankheiten. Jena 1811. pag. 417.

(4) Die Lustseuche in allen ihren Richtungen und Gestalten. Breslau 1810. pag. 199.

(5) Haase, Erkenntniſs und Kur der chronischen Krankheiten. Volumen tert. pag. 142.

(6) S. Cooper the first lines of the practice of surgery. London 1819. Vol. prim. pag. 130.

(7) Traité theoretique et practique des maladies de la peau. T. II. Paris 1835. p. 429.

(8) Kluge et Bonorden in Rust's Handbuch der Chirurgie. Cf. art. Condyloma.

(9) Pathologie und Therapie nach Schoenlein's Vorlesungen. Tom. IV. 1832. p. 305.

(10) Otto. Lehrbuch der pathologischen Anatomie. Berlin 1830. Bd. I. p. 106.

(11) H. J. Johnson medico-chir. Review. London Juli 1834.

(12) O. de Gonzenbach, de carcinomate penis. Dissert. inaug. Berolini 1837. p. 8.

cis fibris intermixtos, ostendunt. Condylomata etiam tunicae mucosae veli palatini, quae Remak semel microscopio submisit, epithelio destituebantur eandemque internam structuram praebebant. — In mulieribus, quae non solum condylomatibus vaginae et labiorum, vel ani, brevi post coitum exortis, sed etiam exanthematibus syphiliticis laborabant, condylomatum formam, quo magis a vulva vel ano, tanquam a centro, ad corporis peripheriam discedebant, sensim in alias formas, in tubercula, in papulas, denique in maculas, transire observavit; his in casibus rubor cupreus, in condylomatibus ipsis evidentissimus, eo pallidior erat, quo longius partes affectae a vulva distabant, nam in pedibus v. c. nonnisi maculae conspicuae erant, dum circa genitalia papulae et circa inguina tubercula florebant. Quam ob rem Remak opinatur, exanthemata syphilitica tuberculosa, papulosa et maculosa nihil esse, nisi modificationes quasdam condylomatum, varia variorum locorum textura productas, neque in omnibus casibus exanthemata syphilitica, praecipue sicca, luem universalem indicare. Tum quidem, cum condylomata primitiva, id est statim post infectionem, in loco infecto oriuntur, et simul cum iis circa locum affectum exanthemata apparent, in remotioribus partibus quod ad colorem et prominentiam leviora et minora, haec eruptio non nisi ex locali irritatione proficisci videtur. Illa autem exanthemata, quae diutius post localem infectionem in partibus remotis apparent, neque unquam transitum in condylomata faciunt, pro signo dyscrasiae generalis habeantur necesse est.

Optime autem nuperrime in condylomatum structuram inquisivit Simon (1), et observationes veritati maxime consentaneas evulgavit, quas hic apponere liceat. Vulgarem divisionem condylomatum in lata atque in acuminata secutus orditur a latis, quum structura eorum sit paullo simplicior.

I. CONDYLOMATA LATA.

Condylomata lata plerumque cutis externae excrescentiae tumulosae, unam ad nonnullas lineas altae describuntur, quarum superficies aut laevis aut parvis eminentiis striisque praedita observatur. Jam oculo inermi horum tumorum duae telae diversae discernuntur: nimirum externa, tunica subtilissima, qua excrescentia tota obducitur et interna, quae ut videtur, ex una eademque substantia constat. Maceratione per longius tempus adhibita, aut aqua fervente super hanc substantiam infusa, tegumentum illud, ut fere fit, paullulum solvitur, ita ut forcipe frustulatim auferri possit; quod observationes microscopicae comprobant. Tegumentum enim constituunt nonnulla strata planarum epithelii cellularum, quae una juxta alteram

(1) Müller's Archiv für Anatomie und Physiologie 1839. Hft. 1. pag. 17—33 u. Schmidt's Jahrbücher 1839, No. 8. 23. Bd. 2 Hft. pag. 189 — 192.

positae sunt. Cellulae sunt irregulares partim rotundae, partim angulatae et in iis, quae in spatiis profundis sitae sunt, nucleus, qui ipse unum vel duos nucleos continet, cognoscitur. Num cellulae superficiales, etiam paullulum majores profundis, nucleo praeditae sint, haud certo dignoscitur. Condylomatum latorum tegumentum igitur ad illam epithelii, quod Henle (1) Pflasterepithelium nominavit, speciem spectat. Infra cellulas, quas ipsas nunc descripsi, stratum minorum vel rotundarum, vel polygonicarum cellularum, quae nucleum continent, situm est. Reliqua pars profunda condylomatum, seu substantia intima, ex fibris quam subtilissimis composita est, quae crassitie et tota indole cum fibris cellulosis congruunt et in fasciculos irregulariter mixtos conjunctae sunt. Inter fibrillas corpuscula rotunda, quae plerumque unum vel duos nucleos ostendunt, observantur. Praeterea in stratis, quae prope superficiem posita sunt, inter fibras cellulae inveniuntur, quarum nonnullae in ovi speciem conformatae, aliae in utroque fine acuminatae et filiformes sunt. Hae autem cellulae acuminatae semper solitariae, neque unquam plures conjunctae, sunt; nonnulla tamen condylomata lata omnino his cellulis carere videntur, dum eae etiam in profundis partibus condylomatis recentioris interdum sese manifestant. Saepius denique in his condylomatibus nonnullae crassiores magisque rectae fibrae, omnino telae elasticae similes, inveniuntur. Quodsi igitur elementa complectimur, quae substantiam internam constituunt, diversa: rotundas, ovales cellulas talesque, quae in utroque fine fibrillas subtilissimas formant, subtiles, sinuatas, in fasciculos conjunctas fibrillas, inter quas corpuscula rotunda sunt, diversae formationis gradus observamus, quos tela cellulosa ex prima formatione percurrit. Etenim nemo ignorat, omnes telas, ut Schwann (2) aperuit, corporis animalis sicut vegetabilium, cellulis constitui, aut vario modo ex iis formari; quae cellulae ab Henle (3) cellulae primariae, a Schwann (4) elementariae, seu cellulae vegetationis, nominatae nucleum continent, qui ipse uno vel duobus minoribus praeditus est. Henle (5) etiam exploravit, telas inflammatione regenerari, dum illae cellulae primariae oriuntur; et R. Froriep (6) similia evenire, si pseudomembranae organicae formentur, observavit. Simili modo, quo telas embryonis oriri Schwann ostendit, tumores formari,

---

(1) Symbolae ad anatomiam villorum intestinalium. Berol. 1837 et Müller's Archiv. 1838. No. 1.

(2) Mikroscopische Untersuchungen über die Uebereinstimmung in der Structur und dem Wachsthum der Thiere und Pflanzen. Berlin 1838 und Froriep's Notizen 1838. No. 91. 103. 112.

(3) Ueber Schleim- und Eiterbildung. Berlin 1838 pag. 53. Hufeland's Journal. Bd. LXXXVI. St. 5.

(4) l. c. p. 10.

(5) l. c. p. 54.

(6) Klinische Kupfertafeln 11te Lieferung. T. LXI.

Joh. Mueller(1) invenit. Quare constat, haec condylomata, externo tegumento excepto, formari tela cellulosa, quae tamen varios formationis gradus obtinuerit.

Altera enim pars cellularum, quae sub cellulis epithelii positae sunt, rotundarum sine dubio cellulae primariae sunt, et dum longiores fiunt et acuminantur, in fibras cellulosas mutantur; de altera parte autem est censendum, cellulas esse epithelii primarias, quum verisimiliter a condylomate epithelium ita desquametur et regeneretur, ut epidermis et epithelium a tunicis mucosis. Cujus rei argumentum in eo est, quod in substantia, quae cultro averso, condylomatis superficiem leviter attingenti, adhaeret, per aquam dispertita cellulae epithelii magnae planaeque, nucleis plerumque haud manifeste cognoscendis praeditae observantur. Corpuscula rotunda, quae inter fibras dispersa atque uno aut duobus punctis instructa sunt, de quibus supra diximus, verisimiliter reliquos nucleos cellularum, quae jam cesserunt, exhibent; quo ostenditur, telam cellulosam cellularum, quae indagatae sunt, ad maturitatem completam non pervenisse. In suspenso relinquimus, utrum fibrae elasticae, quarum perpaucae in nonnullis condylomatibus latis observantnr, recenter oriantur, an ad eas, quae statu normali in regione ani adsunt, spectent. Denique ex eo, quod imprimis strata condylomatum superficialia cellulis telae cellulosae praedita sunt, et profundiora fere semper tantum fibras et nucleos continent, cognoscimus, condylomata eodem modo, quo granulationes, oriri, dum in superficie cellulae recenter formentur.

Aptissimum nunc mihi videtur, nonnulla de condylomatum formatione ex ulceribus hic apponere, praesertim quum vulgo ea ulcera, quae in formam condylomatum abitura sunt, pro condylomatibus exulceratis perperam sint habita: quum ulcera syphilitica causis externis praecipue frictione, quae vel aegrotorum manibus vel motu producitur, minime autem remediis externis, irritentur, fundus ulcerum, antequam tegumento quodam albido obducitur, inflammationi submittitur. Tegumentum albidum plane disparet, quo fit, ut ulcus excoriationis simplicis formam accipiat. Sensim autem fundus ille inflammatus super cutis superficiem elevatur atque ulcus format, quod phaenomena, quae sequuntur, praebet: fundus est prominens atque sarcomatosus, fluidum, quod secernitur, aquosum, fere limpidum et praecipitatum quoddam albidum inter margines et fundum emittit. Margines autem a fundo secedunt atque extrorsum vertuntur. Hocce condylomatum stadium saepius observavi. Si aegrotus statum illum morborum negligit, fundus ille sarcomatosus majorem accipit ambitum atque magnitudinem. Margines ulcerum introrsum revolvuntur atque cum fundo se conjungunt. Fundus ipse cute quadam densiore obte-

(1) Ueber den feineren Bau und die Formen der krankhaften Geschwülste. 1ste Lieferung. Berlin 1838.

gitur, superficies aspera fit atque rimosa et inter rimas liquor quidam tenax secernitur.

Atque hanc quidem condylomatum formationem, de qua dixi, observandi saepius in nosodochio caritatis occasio mihi est oblata.

CONDYLOMATA ACUMINATA.

Condylomatum acuminatorum praecipue propria haec sunt: Linea longitudinem metiens major est, quam diametros baseos, qua tumor cuti adhaeret. Vertex horum condylomatum aut revera acutus aut obtusus est. Saepe excrescentia petiolo tenui ex cute progerminat atque diffunditur. Praeterea haec condylomata non solum aspera sunt, sicut lata, sed fere semper eorum superficies multipliciter fissa, ita ut omnino gibbis dentibusque parvis praedita esse videantur; quod potissimum Vossen (1) diligentius fusiusque descripsit. Gibbi partim alii juxta alios partim alii super alios positi sunt atque eorum bases cohaerent. Plerumque breves et acuminati aut obtusi, interdum longiores sunt, saepius capitis speciem habentes truncos formant, qui interdum in plures ramulos dividuntur. Saepenumero gibbi formae variae in eodem condylomate reperiuntur. Ex hac diversitate discernuntur fici, partim mariscae, thymi, mora, fraga, cristae, rhagades etc., quia veteres medici similitudinem quandam cum iis invenerunt. Nonnunquam condylomata acuminata molliora et paullo pellucida, alias duriora et obscura observantur. Atque harum quidem vegetationum durities, quo diutius exstant, magis magisque augetur. His discriminibus exceptis, in eo, quod structuram attinet, condylomata acuminata cum latis plane consentiunt. Etenim illis quoque tegumentum externum est, quod ex cellulis similibus, ut in latis, compositum, gibbum quemque obducit usque ad locum, quo vicinum gibbum attingit, ad quem transit. Quod ipsum cum epidermide sana illius loci, cui condyloma insidet, communicare videtur. Simon hoc tegumentum, quod a condylomatibus petiolatis et racemosis abesse dicit Remak, in omnibus verrucis syphyliticis, quacunque sint forma et aetate, observavit. Cellulas, quibus illud constituitur, videmus, si particulas ab ejusdem superficie rasas aut discos tenues resectos plicaveris et duas intra tabulas vitreas compresseris plicaeque marginem observaveris oculo armato. Interea partium singularum copia in alio condylomate alia exstat, modo enim cellulae permultae, modo paucae adsunt; cellulae acuminatae, vel congregatae, vel solitariae sunt, vel omnino desiderantur. Eodem modo fibrarum ab nucleorum, qui cellulis insunt, copia discrepat; nonnunquam enim fibrae modo paucae inveniuntur, quod etiam Remak observavit, saepius vero sub-

(1) Rust's Magazin Bd. 39. Heft 3. 1833.

stantia condylomatum interna fibrillis modo et ex copia nucleorum majore minoreve constituitur. Lobuli, quos Remak observavit, pro iisdem habendi videntur corpusculis, quae cellularum nucleos esse censet. Condylomata acuminata in telam tunicae mucosae, vel corii externi magis minusve descendunt, namque remediis causticis vel adstringentibus contingit, ut condylomatis partem, quae inhaeret tunicae mucosae vel corio, extrahere possimus.

DE VASORUM SANGUIFERORUM IN CONDYLOMATIBUS DECURSU.

In condylomatis lati modo resecti superficie, qua cuti adhaerebat, saepe nonnullos loculos videmus, quibus sanguis profluit, quo sine dubio vasa sanguifera dissecta indicantur. Nonnunquam hic illic in hisce condylomatibus tenues vasculorum rami microscopio observantur, de quorum tamen decursu nihil certi hucusque constitui potuit In condylomatibus acuminatis saepe manifeste observatur vas, quod per petiolum decurrens in ramos plures dividitur, qui in gibbos transeunt. Gibbi etiam reperiuntur, in quorum altero latere vas adscendit, quod paullulum a tegumento externo digressum arcus in modum incurvatur, quo facto altero in latere descendit. Saepius duo vasa petiolo inesse videntur, quod ex aliorum sententia normale est. Condylomatis pellucidi formam mori habentis vasa facillime dignoscuntur. —

Condylomata plerumque fluidum secernunt, quod, locis cutis externis sanis applicatum, nova provocare condylomata satis constat. Ceterum de hujus fluidi indole nihil hucusque innotuit.

DE NATURA CONDYLOMATUM CHEMICA.

Quum internam condylomatum substantiam telam cellulosam esse dixerimus, haec sententia optime probabitur, si condylomata cocta in gluten transeant; sed id meditandum est, condylomata plerumque immatura tela cellulosa constitui et alias quoque partes, quae telam cellulosam continent immaturam, glutine carere. Güterbock (1) enim e granulis vulneris suppurantis nihil glutinis elicere potuit; item Schwann enarrat, cutem foetus suilli, quamvis diu coctam, maxime in gluten mutari. Quod condylomata plerumque, dum nascuntur, observata gluten non praebent, quid miretur? Ac revera ex omnibus his partibus materies extrahi potest, quae ab aliis eo discernitur, quod in easdem substantias chemicas diverso modo reagit. Praeterea docuit analysis chemica, condylomatum latorum substantiam atque acuminatorum minime discrepare.

---

(1) De pure et granulatione, Berol. 1837. p. 28,

DE CONDYLOMATUM PATHOGENIA.

Quae hucusque disseruimns, si animo complectimur, condylomatis genesin hunc in modum explicare forsan licebit: quum ex Schwannii observationibus omnes cellulae elementares e massa, quae structura caret, originem ducant, haud alienum videtur supponere, talis massae depositionem vel exsudationem condylomatum quoque generationi antecedere. Postquam haecce massa vel intra tunicam mucosam ejusque epithelium, vel intra corium et epidermidem exsudata est, loci affecti cuticula, quod semper accidit, si exsudatione attollitur, dejicitur, quo facto in massae exsudatae superficie cellulae, quales epithelium constituunt, nascuntur, vel novae excrescentiae integumentum conformant. In stratis subjectis cellulae primariae oriuntur, quae varios formationis gradus, quos supra descripsimus, emetiuntur, donec ad telam cellulosam maturam processerunt; proinde tumor cellulis primariis, ejusdem in stratis superioribus recens nascentibus, magis magisque adaugetur. Si materies, qua cellulae primariae condylomatum formantur, in telam vel tunicae mucosae, vel corii exsudatur, idem evenit; sed illarum tunicarum pars condylomati nascenti superstructa, hoc succrescente ad latus dimovetur et prorsus resorbetur. Forsan haud alienum videtur, ex loci natura, quo exsudatio oritur, condylomatum formas varias quodammodo explicare. Quodsi enim exsudatio intra cuticulam et corium fit, tumor haud multo impeditur, quo minus ad latus extendatur, quod cuticula facilius a corio sejungitur; itaque magis explanatur minusve in altitudinem surgens condyloma latum nascitur. Sin vero illa massa intra ipsam membranae mucosae vel corii telam exsudatur, excrescentia exorta propter tunicarum firmitatem ad latus expandi non potest, qua re, quamdiu sub cuticula posita est, tenuis manet ejusque superficie superata aut hancce formam retinet, aut tum demum magis ad latus extenditur, quo facto formae acuminatae et petiolatae producuntur. Huic conjecturae favet experientia, qua condylomata acuminata, ut supra dixi, inferiore parte telam corii, vel membranae mucosae ingrediuntur, dum, condylomata lata tantummodo corii superficiei imposita esse, eo probabile videtur, quod condyloma parvum evanescens nunquam foveolam cutis relinquit.

Verisimile est, inflammationem huic processui antecedere; latis quidem, quod manifestum est, pruritus vehemens et cutis rubor praeeunt, quem deinde excrescentia subsequitur. Inflammatio aut ex syphilide universali, aut locali, irritatione variarum materiarum, ad quas referenda sunt profluvia e vagina, urethra etc. proficiscitur. In universum etiam constat, nonnulla exanthemata syphilitica condylomatibus per formam suam affinia esse, nec incredibile est, utramque morbi speciem tantummodo eatenus inter se differre, quatenus massa, quae ad condylomata

formanda exsudatur, apta sit, ut in telam cellulosam transformetur, massa enim, quae ad exanthemata formanda exsudatur, hacce facultate omnino caret.

HISTORIA MORBI.

Venio jam ad enarrandam historiam morbi quod ad statum pathologicum attinet haud indigni, qui memoriae prodatur. Quod autem hujus morbi originem tantum atque decursum retulerim, neque quidquam de ejus natura conjecerim, **LL. BB.** tironi ignoscatis velim, quum viri vel experientissimi atque proceres medicinae, cui morborum speciei hunc casum adnumerent, valde haesitarint atque dubitarint. Etiamsi vero enarratione hujus morbi parum me profecisse arguar, tamen facilius vituperationem feram, si forte in posterum hac re excitetur quisquam, qui uberiori ingenio et longiore experientia munitus denuo rem disquisitioni submittat accuratiusque dijudicet. Gratiam denique opusculo meo me paraturum et lectoris animum mihi conciliaturum existimo, si celebre nomen viri celeberrimi Froriep pronuntiare licuerit, qui ipse aegrotum, de quo dicturi sumus, vidit atque tabula delineavit delineataque consueta sua liberalitate atque benevolentia, ut hisce pagellis addam, mihi permisit.

Fridericus Zernicke, mercenarius trium ac triginta annorum, firmo corporis habitu instructus, postridie Calendas Martias h. a. caritatis nosocomium Berolinense adiit, ut a malo quodam singulari, jam describendo, liberaretur. Se unquam antea gravius aegrotasse, haud meminit, potissimum syphilide sese fuisse infectum directe negavit. Anno vitae secundo ac vicesimo in matrimonium duxit, pluresque liberos ab omni parte integros genuit.

Inde ab autumno anni millesimi octingentesimi tricesimi noni abdominis atque pectoris plenitudinem periodicam conquerebatur, cui postea anorexia et ad alvi obstipationem propensio superveniebant. Mense Decembri anni ejusdem gustus decrementum animadvertebat, et, quum nihil amplius degustaret, anorexia tentabatur, eodem tempore linguam et gingivas papillis numerosis obsideri sentiebat. Mensibus Januario et Februario papillarum numerus in ore crevit similesque excrescentiae in aliis corporis partibus effloruerunt, ita quidem, ut si a molestiis ante dictis discesseris, valetudinis ratio haud mutaretur; vires tantum magis decrevisse, aeger affirmat. Quum in nosocomium aeger reciperetur, corpus quidem macrum et minime confectum apparuit, facies solis ardore tincta magnam obtulit tristitiam animique tanta fuit intemperies, ut aeger de recuperanda salute desperans, mortem inevitabilem sibi imminere existimaret. Quum verba facere coepisset, loquela aliquanto ardua, haud expedita, attentionem excitabat, quippe quae linguae crassitiem motumque difficilem indicare videretur. Ore aperto, facies interior labii superioris

atque inferioris usque ad limbum rubicundum, nec non anterior facies dentium superiorum et inferiorum dimidio tenus excrescentiis verrucosis molliusculis, albo rubellis, a libero gingivarum margine ordientibus, tactu sanguinem facile edentibus, quae acinis parvis inter se firmiter adhaerentibus formabantur eamque ob rem habitum speciei vasculosae condylomatum acuminatorum prae se ferebant, eo tantum interposito discrimine, ut horum singuli acini multo sint majores, obsessa apparebat. Similes excrescentiae in posteriore dentium facie animadvertebantur, eaedem in maxilla inferiore neque versus internum labii latus, neque versus partes sublinguales pergebant, in maxilla autem superiore a dentium facie posteriore, totius palati duri membranam mucosam obtegentes, ad veli palatini insertionem usque protendebantur. Inde lingua tomenti albo rubelli speciem obtinuerat et si ejus superficies specillo permulcebatur, innumerae papillae carneae, arcte constipatae, lineae longitudinem aequantes, linguae tegumentum obsidentes conspiciebantur. Papillae molles erant, bases earum crassiores et rubicundiores, apices tenuiores atque albidiores. Velum palatinum et uvula papillas aliquot solitarias ejusdem indolis et magnitudinis exhibebant; tonsillae et posterior faucium paries nihil anomali habentes, papillis destituebantur. Aeger continuo multum salivae edidit, quae si excrescentiae edendo contundebantur, sanguine intermixta apparebat.

Similes papillae, at pauciores, duriores et cutis colorem imitantes, in angulo, qui est inter genam alamque nasi utriusque lateris, conspiciebantur, nec non paucae in parte tertia interiore marginum tarsalium palpebrarum utriusque oculi inveniebantur, quae albae erant atque duriusculae, reliquae palpebrarum partes aeque ac canthi a norma non recedebant. In cervice, utrimque processuum pinosorum vertebrarum cervicalium, cutis inde a parte pilosa capitis ad marginem usque scapulae superiorem in strias transversas elevatas, verrucosas, coloris propemodum nigri, mutata erat; inter strias illas transversas cutis aliquanto albidior, ceterum omnes partes aridae, quavis secretione carentes, reperiebantur. Ratio talis erat, ut de ichthyosi quadam cogitare liceret.

Eadem conditio in parte anteriore utriusque axillae magisque exquisita in parte inferiore inguinum usque ad perinaeum aeque ac in parte superiore utriusque scroti lateris, animadvertebantur, at modo exteriores cutis degeneratae partes nigrae apparebant, durae, asperae mediae partes, in ipsa femorum flexura positae, ex albo rubescebant, condylomatum acuminatorum catervatim stipatorum exacte referebant semperque secreto mucoso humectabantur.

Partes genitales, regio ani et reliqua corporis cutis nullis excrescentiis erant obsessae. Functio cutis, si faciem excipias saepe sudantem, suppressa videbatur, qua re cutis sicca, fere pergamena, tangebatur. Praeterea singularem

aeger spargebat odorem, adeo fragantem, ut quemque cubiculum aegroti intrantem offenderet.

Curatio talis erat, ut aegro per aliquot dies laxantia praetereaque magnesia carbonica, nuper a Peetz contra verrucas commendata, per sex hebdomades exhiberetur, quae quidem statum valetudinis nihil mutabant. Deinde curatio mercurialis secundum Dzondi totum per ambitum adhibebatur, at nihil emolumenti impetrabatur. Animi temperies tristis et anorexia nihil remiserunt et cibis assumtis aeger ventriculi oppressionem conquerebatur. Neque propensio ad alvi obstipationem, neque gravitatis sensus in ventre et pectore minuebantur.

Die XXVII. m. Junii aeger post meridiem absque frigore praegresso aestum accusavit vehementem, pulsum obtulit ictuum nonaginta, parvum, aliquanto tensum; sitis magna fuit, nausea autem nulla, lingua neque obducta neque alias mutata. Cordis palpitatio vehemens exstitit, ictus regularis, strepitus anomalus nullus. Noctem insomnis aeger transegit, pulsus altero die frequentior fuit, sitis nulla, magnae vero debilitatis sensus atque oppressionis, praesertim in regione praecordiali; nocte, quae fuit inter diem XXVIII — XXIX, aeger mentis bene compos morte placida functus est.

CADAVERIS SECTIO.

Cum incidebatur corpus, excrescentiae verrucosae oris et linguae colorem coeruleo-livescentem exhibuerunt; in oesophago usque ad cardiam ventriculi papillae solitariae, durae, albidae, acuminatis condylomatibus simillimae, apparuerunt. Ventriculus aliquanto minor solito, coloris pallidi fuit, regio pylorica ac major curvatura tactu duriores velut scirrhosae. Reclusi ventriculi membrana mucosa totum per ambitum crassescens, colore insignis rubello deprehendebatur; tunica muscularis atque peritonaealis, sectionis loco non amplius distinguenda, linearum quatuor, prope pylorum linearum sex crassitiem habens, cartilaginea, albida, ulcerum et cicatricum expers apparebat. — Intestina, pancreas, hepar, lien a norma haud recedebant, lienis autem membrana solito crassior videbatur. Post pancreas tria corpora, ovi gallinacei magnitudinem, cartilaginis consistentiam habentia, residebant, quae incisa fungi medullaris speciem imitabantur, passim tamen structurae primitivae acinoso-glandulosae vestigia offerebant. Larynx, trachea, pulmones nihil anomali ostendebant, si ab eo discesseris, quod sinister pulmo totum per ambitum adhaerebat, absque ullo tamen inflammationis vestigio, exiguo cum oedemate. Cor atque pericardium cum naturae norma congruebant.

VITA.

Germanus Eduardus Seyppel, Trevirensis, natus sum anno hujus saeculi decimo quinto, die XXVIII. m. Maji, patre Bernardo, a consiliis revisionis intimis supremis, jam infanti proh dolor morte erepto, matre Alexandra e gente Dupont, quam Deus Optimus Maximus ad haec usque tempora incolumem mihi servavit. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus Berolini gymnasium regium Joachimicum, quod directore Cel. Meinecke floret, frequentavi. Testimonio maturitatis instructus mense Octobri anni MDCCCXXXVI. civibus instituti medico-chirurgici Friderici Guilelmi adscriptus sum, ubi ad studia medica incumbens et chirurgica hosce viros Ill. et Cel. audivi disserentes:

Ill. Hecker de encyclopaedia medica, historia medicinae et de Celsi libris; Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice, psychologia; Ill. Link de botanice, historia naturali, toxicologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. Mueller de anatomia et universa et speciali, de physiologia; in arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Schlemm mihi duces fuere. Cel. Eck de physiologia et de therapia generali.

Praeterea has frequentavi scholas: Beat. Hufeland de pathologia; Ill. Casper de arte formulas medicas rite conscribendi; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphi-

liticis et psychicis; Cel. Froriep de anatomia chirurgica; Ill. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Jüngken de ophthalmiatrice; Ill. Rust de chirurgia speciali.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Dieffenbach, Beat. de Graefe, Jüngken, Kluge, Rust, Wagner, Wolff junior.

Quibus omnibus viris summopere colendis gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Studiorum cursu peracto, medici inferioris in nosocomio Caritatis urbis hujus munus suscepi, quo munere etiamnum fungor.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Podalirius et Machaon primi fuerunt chirurgi militares.
2. Non semper opus est inflammatione ad conjungendas partes disjunctas.
3. Homoeopathia medicinae hysteria, hysteriae medicina.
4. Apoplexia serosa non existit.
5. Tarantismi origo a morsu tarantularum non est ducenda.
6. Trepanatio statim post laesionem instituenda.
7. Medici est mentiri.
8. Medicina omnes alias litteras superat scientia, jam enim ad eum sapientiae ascendit gradum, ut sciat, se adhuc nihil scire.